

EXCERPTA

E TRACTATU DE TRANSLATIONE BEATÆ GENOVÆ VIRGINIS,

AUCTORE MAGISTRO JACOBO DE DINANT¹.

A Translationem sacratissimæ virginis Genovæ devotissime celebrantes, primitus translatae dignitatem, et si non ad plenum, saltem aliquatenus declaremus; secundo loco translationis misterium recolamus; tertio transferentium propositum, studiosum progressum, felicem consummationem consequamur

B Præmissis quasi præfationibus ad nostram eruditionem annexis, narrationem prosequamur. Fuit siquidem rex illustris Francorum, felicitis recordationis Philippus^a, christianissimus princeps, quem, ab adolescentia promotum in regem, divina sic illustravit et protexit gratia ut, cum ipsum insidiarum proditorum subvertere et inimici niterentur opprimere, ac multiplicium guerrarum et bellorum urgerent discrimina, nichilominus Dei auxilio insidias evitavit, inimicos superavit, bellorum victoriam obtinuit, regnum munivit, ampliavit et ditavit ut inexpugnabile redderetur. Hunc, quia sanctam Ecclesiam et fidem dilexit, in obitu suo tanto decoravit honore ut magna multitudine episcoporum qui auctoritate sanctæ Sedis apostolicæ fuerant evocati assistente necnon et baronum, dictæ Sedis legato et metropolitano Remensi voce consona simul missam celebrantibus, corpus honorifice traderetur sepulturæ². Hujus tempore, canonici ecclesiæ Sanctæ Genovæ sub beati Augustini regula degentes, licet quamplurimum gauderent quod digni habiti sunt tantæ virgini cum omni humilitate servire, tam pretioso thesauro corporis ejus, tam fideli pignori incumbere³, majores divitias quibuscumque opibus oculis desiderabilibus illud æstimantes, tacti dolore intrinsecus cordis anxietatem non modicam concipere cœperunt super eo quod vasculo non decenti, non convenienti, non valde pretioso, non auro, gemmis non competenter ornato, tantæ sanctitatis et virtutis cumulus, tam pretiosissima gemma clauderetur, cum in Ecclesiastico legatur, *gemma carbunculi in ornamento auri*^b, et alibi *quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso*^c (Hæc vere carbunculo comparatur, radios exemplorum igneos exsufflans, illuminans doctrinis, inflammanis igne divini amoris). Cogitaverunt itaque canonici magno ardore desiderii novum habitaculum sanctis reliquiis præparare. Capsa quidem fortis erat, et ferrata clavis, et laminis munita; sed lignum consumptum aliquatenus vetustate, et superficiei pulchritudo et deauratio plurimum deleta, sola diligentiarum antiquorum vestigia præferebat, ut dici posset illud Machabæorum: *Ecce sancta nostra et pulchritudo nostra et claritas nostra desolata est*^d. Pium autem propositum suspendebat et differebat deficiens facultas sumptuum, timens ne diceretur illud euvangelii: *Iste homo cœpit ædificare, et non potuit consummare*^e. Ex una parte deterrebat labor operis, ex alia confortabat sæpius experta subventio beatæ virginis. Et creditur fuisse Divinæ Majestatis quoddam præsagium, ut quod futurum præviderat præcederet voluntatis intensæ permanentia, et inde meritum augetur.

Interea successit Ludovicus, prædicti regis filius, illustris fide, audacia, virtute et potentia constanter armatus, qui velut Judas Machabæus induit se lorica sicut

¹ Hic tractatus, de quo pauca jam disseruimus (vide monitum præcedenti fragmento præfixum) in codice 5333 sic inscribitur: Tractatus de translatione beatæ Genovæ virginis, quem composuit magister Jacobus de Dinant; et legitur ad mensam in die ejusdem translationis, quæ est v Kalendas Novembris.

² Philippi Augusti exsequias quasi oculatus testis describere videtur Jacobus de Dinant.

³ Cod. incumbere; sed et quædam alia a nobis emendata fuisse lectorem præmonemus, exempli gratia: habundantes. ymagines, accelo, accuminæ, ysopo, laycorum, choruscantibus, oportunitate.